

producendi sibi simile, liquet ex angelo, cum tamen ignis imperfectior ignem producat.

*Ad 2. R.* Transmissa hac species rememorativas causandi explicatione, *D.* continent in sua virtute speciem positive supernaturalem, et utpote imaginem adæquatam sui *N.* continent speciem connotative supernaturalem, et imaginem tantum inadæquatam *C.* Species relicta vix unquam est adæquata et repræsentans omnia prædicata: imo sæpe tam remissa, ut nonnisi prædicatum genericum repræsentet. Itaque *species*, de quibus nos loquimur, sunt repræsentativæ duntaxat prædicatorum actui naturali communium, minime autem ipsius supernaturalis cum nunquam etiam recordando cognoscamus actus fuisse supernaturales: unde has *species* positive supernaturales negare oportet; præsertim cum damnati etiam retineant *species* ejusmodi rememorativas, quibus tamen nihil supernaturale videtur concedendum præter characterem sacramentalem, cujus indelebilitatem SS. Patres asserunt.

*Ad 3. R.* *Disparitatem* esse similiter patet ex datis hactenus rationibus. Præterea *necessitas* in visione beatifica oritur ab evidenti ac immediata representatione objecti in se verissimi et optimi: *facilitas* vero illa nec ortum habet ab intensione habitus supernaturalis prioris; quia cum intenso etiam habitu ejusmodi stat sæpe difficultas operandi: nec a supernaturalitate habitus acquisiti; cum *facilitas* maneat etiam in peccatore, cui tamen supernaturalis habitus negatur ab omnibus.

30. *Dico II.* Habitus ejusmodi est naturalis; quin tamen cum quibusdam debeat dici generatus ab actibus naturalibus, qui semper cum actibus supernaturalibus simul eliciantur.

*Prob. 1<sup>a</sup>. pars.* Habitus acquisitus ex probabiliore non distinguitur a speciebus rememorativis: sed hæc species etiam ab actibus supernaturalibus natae sunt solum naturales, tanquam naturaliter debitæ naturæ rationali; ergo.

*Conf.* Habitus naturalis acquisitus potest inclinare potentiam ad actus *objective*, licet non *entitative*, similes actibus supernaturalibus, ut patet ex dictis n. 19.: potest etiam facilitare potentiam, ita ut minore labore et conatu hæc influat in actum; cum difficultas tota, quam experitur potentia, oriatur ex ejus indifferentia et carentia assuetudinis versandi circa tale objectum; ergo habitus naturalis sufficit.

*Prob. 2<sup>a</sup>. pars.* Quia actum naturalem una semper elici, dum fit actus supernaturalis, gratis omnino asseritur, sine ulla necessitate aut utilitate, ac contra omnem experientiam, solumque ad declinandam difficultatem.

*Conf.* Totus potentiae conatus elevatur ad actum supernaturalem; ergo non elicitur actus naturalis; præsertim cum nequeat dici eum elici *ex imperio voluntatis*: quia differentia actus supernaturalis a naturali ante operationem non cognoscitur, quod tamen fieri deberet: neque etiam electio ejus nobis est libera. Dicere autem actum naturalem elici simul cum supernaturali *ex sympathia voluntatis* vel actus, est quilibet pro libitu fingere, et rem obscuram obscuriore nomenclatura velle illustrare.

*Si ais 1<sup>a</sup>.* Species rememorativas esse ab actibus supernaturalibus tanquam principio effectivo, et consequenter supernaturales; cum supernaturalitas

habeatur ab effectivo principio. 2<sup>o</sup>. Phantasiam etiam producere phantasma simile cognitioni spirituali, dum hæc ab intellectu producitur.

*Ad 1. R. T. Ass. N. seq. Ad prob. D.* Supernaturalitas actus habetur a principio effectivo per se requisito, et ut supernaturale est *C.* per se non requisito, neque, ut supernaturale est, agente, quale sunt actus supernaturales respectu habitus hujus *N.*

*Ad 2. R.* *Disparitas* est, quia in statu conjunctionis animæ cum corpore, intellectus in operando dependet a phantasia, aut prævie aut simul operante phantasma: habitus supernaturalis non ita dependet a voluntate; quia hæc non prævie aut simultanee operatur actum naturalem; sed in actum supernaturalem, utpote vitalem, suum influxum habere debet.

## CAPUT II.

### DE VIRTUTIBUS SUPERNATURALIBUS THEOLOGICIS.

#### ARTICULUS I.

##### QUID SIT VIRTUS THEOLOGICA?

31. *Nota.* Ut objectum formale *propter quod* dicatur etiam *quod*, requiritur non tantum, ut propter illud attingatur materiale objectum, sed ipsum etiam propter se attingatur, hoc est, in virtutibus Theologicis affirmetur vel ametur: ut autem sit formale *quo*, sufficit quod propter illud attingatur materiale, quamvis ipsum non attingatur. Sic in actu fidei, quo credo resurrectionem mortuorum propter divinam revelationem, hæc revelatio est objectum formale *quod*; quia propter illam non tantum affirmatur objectum materiale, scilicet resurrectio; sed ipsa etiam revelatio divina propter se hoc actu creditur. E contrario dum solvo alteri pecuniam, quia illi debeo, equidem jus alterius et mea obligatio est objectum formale propter quod illam solutionem præsto; non est tamen objectum formale *quod*, sed duntaxat *quo*; quia hoc jus et obligationem non attingo seu amo, cum sæpe quis vellet non dari illud jus aut obligationem.

32. *Dico.* Virtus Theologica est habitus virtutis per se infusus, immediate attingens Deum, tanquam objectum formale quod, saltem inadæquatam.

*Explic.* Dicitur 1<sup>o</sup>. Habitus virtutis; quia loquimur hic de qualitate permanente et recepta in anima; non autem de actu virtutis, vel assistentia Dei extrinseca, aut auxilio transeunte. 2<sup>o</sup>. *Per se infusus*; quia sermo est de virtute theologica supernaturali, quæ elevat potentiam ad connaturaliter eliciendos actus supernaturales, nec per actus repetitos acquiri potest: unde et per modum potentiae se extendit ad plures actus et objecta materialia sub uno motivo; quod habitui acquisito etiam supernaturali, si daretur, non ita congrueret. 3<sup>o</sup>. *Attingens*, h. e. per actum fidei affirmans, per actum spei aut

charitatis sperans aut amans. 4°. *Immediate*, scilicet non mediate tantum vel connotative aut indirecte, prout virtus non theologica facit. 5°. *Deum*, seu prædicatum aliquod Dei, maxime, non tamen unice, ut auctoris supernaturalium. 6°. *Tanquam objectum formale*; quamvis enim Deus sit objectum materiale primarium et nobilissimum, sunt tamen præter Deum alia, quæ actu theologico credere, sperare ac diligere possumus. 7°. *Formale quod*; cujus exemplum dedimus in actu fidei. Idem porro tenet etiam in spe et charitate theologica. Nam in spe semper speramus etiam Deum ipsum tanquam beatitudinem nostram, ut docet S. TH. 2. 2. q. 17. a. 3. in 0. et ad 1. In charitate autem, quidquid amamus, v. g. proximum, propter Deum amamus, h. e. quia Deo bonum est; amare autem aliquid tanquam alteri bonum est velle bonum alteri, et formalissime amare alterum. 8°. *Saltem inadæquatam*; tum quia per hoc sufficienter discrepat a virtute non theologica, cujus objectum *adæquatam* est aliquid creatum: tum quia nil obstat, quominus actus theologicus etiam attingat partiale objectum formale creatum; modo alteri objecto formali divino partiali adhæreat *super omnia*.

*Prob.* Ut virtus dicatur theologica, satis non est quod habeat Deum pro objecto *materiali*; hoc enim nec actum specificat nec habitum: nec etiam sufficit quod habeat Deum pro objecto formali *quo*, aut formali *quod* indirecto vel mediato; quia alterutrum etiam competit virtutibus non theologis; ergo debet habere Deum pro objecto formali *quod* immediato.

*Conf.* Juxta S. Th. 1. 2. q. 68. a. 8. in 0. *Virtutes theologice sunt, quibus mens humana Deo conjungitur; virtutes autem intellectuales sunt, quibus ratio ipsa perficitur; virtutes autem morales sunt, quibus vires appetitive perficiuntur ad obediendum rationi.* Sed theologice non conjungunt mentem cum Deo, nisi habeant Deum pro objecto formali *quod*; nam fides immediate non conjungit intellectum Deo, nisi Deus sit objectum, quod ratione sui affirmatur ab intellectu: nec spes et charitas conjungit voluntatem, nisi Deus sit objectum, quod ratione sui amatur a voluntate, vel quia amanti vel quia amato bonum.

33. *Obj. I.* Objectum formale *quod* nihil aliud addit objecto formali *quo*, quam objectum materiale: sed ab objecto materiali non specificantur actus nec habitus; ergo ad virtutes theologicas non plus facit objectum formale *quod*, quam formale *quo*. *Conf. 1.* Ad assensum conclusioni præstandum, motivum non debet attingi intrinsece; ergo nec ad assensum fidei præstandum objectum formale debet intrinsece attingi, seu affirmari. 2. In actu fidei, quo credo resurrectionem, Deus est solum objectum formale *quo*; quia hoc actu non credo Deum, sed tantum Deo revelanti, seu propter divinam revelationem. Similiter se res habet in actu spei, quo desidero resurrectionem vel vitam æternam, et in actu charitatis, quo amo Dei gloriam æternam aut alia bona, quæ extra Deum sunt; ubi prædicata divina tantum sunt objectum formale *propter quod* aliquid vel a Deo speratur, vel Deo optatur.

R. *D. M.* Nihil aliud addit, quam objectum materiale a formali indistinctum et in hoc inclusum *C.* realiter distinctum *N.* Prius autem materiale specificare actum nemo negat; et patet ex colore, qui, quia materiale simul et formale objectum est, dicitur specificare visionem.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* R. *Disparitas* est, quia in illa sententia motivum præmissa-

rum se tantum habet extrinsece, et ut motivum actus imperantis respectu actus imperati, sicut si quis ex metu pœnæ imperat sibi contritionem. E contrario fides theologica non potest pro motivo extrinseco habere prædicatum divinum; quia subjectum debet conjungere Deo: non autem conjungit, quando potentia intentionalis vel negat, vel aversatur, vel ab affirmatione prædicati divini et ejus amore præscindit.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* R. 1°. Sicut concedimus dari actus credulitatis, spei et amoris non respicientes Deum tanquam objectum formale *quod*, sed negamus esse actus theologicos; sic contendimus ab Adversariis concedi ejusmodi actus cum immediato et directo respectu ad Deum, et hos tantum asserimus esse actus virtutis theologice. Ad suppositum hoc firmandum,

R. 2°. *N. Ass.* In actu fidei enim, quo credo resurrectionem, quia Deus revelavit, juxta regulas *hermeneuticas* de expositione propositionis causalis, affirmo et resurrectionem et revelationem divinam et resurrectionem propter revelationem. Quin non affirmo tantum revelationem, sed et eam credo; quia Deus revelans simul se dicit revelare. Similiter in spe theologica quæcumque bona a Deo distincta desideramus, semper concupiscimus cum ordine ad Deum ut nobis bonum, ita ut eundem tanquam finem principaliter desideremus, dum media ad eundem speramus. Nec minus, dum amo Deo bona illi extrinseca, quia ipsi bona, hoc ipso amo illa bona propter Deum amatam ut summe bonum: sicut enim alicui velle malum, quia ipsi malum est, odium ejus dicit; sic velle alteri bonum, ut ipsi bonum est, amorem formalem significat.

*Inst.* Potest quis revelationem divinam antecedenter cognovisse, postea autem non cogitando amplius de illa aut in illam non reflectendo assentiri objecto revelato: atqui talis eliceret actum fidei, nec tamen attingeret revelationem divinam; ergo. *Conf.* Actus *reflexus*, quo diligitur actus amoris directi, propter specificam bonitatem quam habet, in quantum est actus amoris divini vel amor prædicati divini propter se, est actus virtutis theologice; quia sicut fieri non potest ut medium quis amet propter specificam bonitatem medii *qua talis*, seu utilitatem ad finem, quin eodem actu *virtualiter* saltem et *implicite* amet illud propter intrinsecam bonitatem finis, et hæc etiam ipsa ametur: sic etiam fieri nequit ut quis amorem Dei directum amet propter specificam bonitatem amoris Dei *qua talis*, quin illum pariter eodem actu *virtualiter* amet propter increatam Dei bonitatem, et hæc ipsa simul ametur. Jam vero amor ille *reflexus* pro objecto formali immediato habet bonitatem creatam actus amoris divini, et non ipsum Deum ejusque bonitatem increatam; ergo.

R. *N.* vel *D. min.* Talis eliceret actum fidei formalis *N.* fidei tantum objective, aut nonnunquam *virtualis C.* Postremum evenit, quando actus fidei formalis præcessit et virtute adhuc in aliquo perseverat; quo casu non quidem adest signata et clara cogitatio revelationis divinæ tanquam objecti formalis: non tamen abest omnis cogitatio etiam exercita, remissa, et obscura, quemadmodum ab exercitatis fieri solent syllogismi aut resolvi problemata, cum aliquali recordatione regularum Logicæ aut demonstrationis Mathematicæ.

*Ad Conf. N. M.* Cum ex objicientium confessione certum sit, ejusmodi actum reflexum non attingere immediate et reflexe bonitatem divinam,

Præterea ad Prob. R. *Disparitas* est, quia finis non est tantum id propter quod amatur medium, sed etiam ipse amatur; cum, nisi amaretur, medium non amaretur ac eligeretur. E diverso autem, ut *reflexe* ametur amor Dei directus, sufficit Deum esse amabilem; quia ex hoc jam habetur bonitas specifica amoris directi: non autem requiritur ut ipso actu ametur etiam ab elicente actum *reflexum*.

34. *Obj. II.* Varii habitus Deum habent pro objecto formali, quin tamen sint virtutes theologice; ergo data definitio et nota distinctiva non est germana. *Prob. Ant. 1<sup>o</sup>.* Habitus *Theologicæ* objectum est auctoritas Dei revelantis. 2<sup>o</sup>. Juxta quosdam motivum *pœnitentiæ* est deletio peccati: sed hæc est aliquid divinum, nempe actus ipse Dei remittentis jus ad odium et vindictam peccati; ergo. 3<sup>o</sup>. Qui Deum reveretur propter infinitam ejus majestatem, elicit actum reverentiæ: sed reverentia est virtus moralis, quamvis ejus motivum hic sit aliquod prædicatum divinum; ergo. *Conf.* Reverentia divina immediate et proxime specificatur ab excellentia divina, sicut irreverentia; quæ ideo dici potest esse duplex saltem numerice contra patrem et matrem, quia horum excellentia numero duplex est; ergo immediate etiam eam attingit.

R. N. A. *Ad prob. 1<sup>am</sup>.* N. ass. Theologia enim, ut alibi dicitur, est scientia de Deo et rebus divinis, ex veritatibus a Deo revelatis deducta; unde illius objectum formale est objectiva connexio veritatis revelatæ cum alia veritate, quæ per discursum ex illa colligitur; non autem Dei revelantis auctoritas.

*Ad 2<sup>am</sup>.* D. M. Est deletio peccati causaliter spectata N. formaliter sumpta *subd.* formaliter passive seu accepta præcise pro non esse peccati C. formaliter active seu accepta pro actu divino, per cessionem sui juris tollente reatum culpæ et pœnæ N.

*Ad 3<sup>am</sup>.* D. m. Reverentia est virtus moralis, si moveatur ex eo, quia deceat et honestum est creaturam Deo non esse nimium familiarem C. si moveatur ex eo, quod vereamur ne Deum illo liberiore accessu a nobis alienemus, aut ne Deum vindicem offendamus N. In posteriori enim casu erit vel timor filialis, qui ad charitatem spectat, vel servilis.

*Ad Conf. D. A.* Specificatur in ratione reverentiæ præcise N. in ratione talis reverentiæ C. Sic vero reverentia non sumitur secundum essentiam, sed secundum qualitatem, non formaliter, sed materialiter.

*Inst. 1.* Religio, quæ tamen est virtus moralis, non minus attingit aliquam perfectionem divinam, ac virtutes theologice; quia circa Dei cultum propter infinitam ejus excellentiam versatur. *Conf. 1.* Licet religio dicatur habere pro objecto formali honestatem cultus divini, attingit tamen prædicatum quoddam divinum; cum enim cultus divinus proprie sit is, qui est dignitati divine conformis, honestas in cultu divino relucens involvit dignitatem divinam. *Conf. 2.* Non repugnat ut Deum directe et immediate colam propter ejus dignitatem; ergo religio potest habere Deum immediate pro objecto formali.

R. N. Ass. *Ad prob. D.* Versatur circa cultum propter excellentiam tanquam objectum formale quo C. tanquam formale quod N. Religio amat honestatem in cultu Dei relucentem; excellentiam autem Dei non amat, neque

etiam odit, sed tamen supponit. Itaque excellentia se habet in actu religionis, sicut jus creditoris respectu solutionis præstandæ, h. e. ut objectum formale quo; honestas vero ut objectum formale quod.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* N. ass. *Ad prob. D.* Honestas involvit in recto dignitatem divinam N. in obliquo, indirecte et tanquam terminum C. Jam vero quod in obliquo connotatur et tanquam terminus, minime aut saltem non semper attingitur tanquam motivum formale quod; ut patet in pœnitentia aliisque, quæ attingunt peccatum ut terminum, quin illud ametur.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* N. *supp. Cons.* Ejusmodi enim actus non esset religionis, sed charitatis; quia velle Deo cultum immediate ob ejus dignitatem, est Deo velle bonum externum, quia Deus bonus et excellens est; quod est amare Deum propter suam perfectionem.

*Inst. 2.* Omnis etiam virtus moralis hominem conjungit cum Deo; quia qui honeste operatur, semper attingit Deum sub ratione regulæ morum, seu ut legislatorem approbantem vel imperantem aliquid: sicut qui peccat, eundem attingit ut legislatorem prohibentem, ac offendit. *Conf. 1.* Dum Deus etiam indirecte tantum et ut terminus attingitur, semper proponitur ut amabilis virtuti; ergo etiam amatur, et sic est objectum formale quod. *Conf. 2.* Non potest aliquid relative ad Deum cognosci, quin cognoscatur simul Deus; ergo et nequit aliquid, v. g. honestas, relative ad Deum amari, quin hoc ipso ametur Deus.

R. D. Omnis virtus conjungit cum Deo, et Deum attingit per affirmationem vel amorem N. quomodocumque *subd.* attingit implicite tantum et sub prædicato omnibus actibus communi C. explicite et sub prædicato speciali N. Ex dictis intellectus non aliter conjungitur, aut attingit Deum nisi per affirmationem, nec voluntas nisi per amorem; neutrum autem evenit respectu regulæ morum. Præterea in motivum speciale et distinctivum virtutum theologicarum ab aliis inquirimus; unde attributum Dei singulare attingi, merito cum omnibus desideramus.

*Ad Conf. 1<sup>am</sup>.* N. A. Deus enim duntaxat proponitur ut amabilis spei et charitati, reliquis ut colendus, timendus, audiendus etc. pro diversitate perfectionum et virtutum.

*Ad Conf. 2<sup>am</sup>.* *Disparitas* est, quia intellectus est potentia *necessaria* respectu cujuslibet sufficienter propositi: voluntas est *libera*, quæ amat unum, quin amet connexum cum illo, ut ex allatis per decursum exemplis patet. Imo, sicut intellectus non omnia representata affirmat, sic nec voluntas amat.

QUÆRES: An de ratione virtutis theologice sit, Deo adhærere super omnia?

33. *Nota.* Adhæsiō actus ad objectum alia est intensiva, alia appetitiva. *Intensiva* est, si quis, vi actus, majore conatu, applicatione et sensu delectationis adhæreat uni præ altero: *appetitiva* est, si actus sit talis ut, vi illius, quis paratus sit potius recedere ab assensu vel amore alterius objecti, quam hujus cui adhæret. Per τὸ omnia vel intelligi possunt objecta quæcumque; etiam ea quæ impertinenter se habent respectu objecti, de cujus preferentia agitur; vel ea quæ illi congruunt; vel ea quæ illi repugnant.

Quæstio autem hic tantum est de adhæsione *appretiativa*, et super omnia ea quæ repugnant Deo, ut objecto formali actuum theologicorum.

36. *Dico.* Est de ratione virtutis theologicæ, ut adhæreat *appretiative* Deo super omnia repugnantia illi prædicato divino, quod est objectum formale quod actus theologici.

*Prob.* Sicut de ratione cujuslibet virtutis est adhærere suo objecto tantum, quantum ipsum meretur; sic multo magis de ratione virtutis theologicæ, utpote per quam homo perfecte unitur Deo, erit adhærere Deo, quantum meretur, decet ac oportet. Sed ex terminis videtur notum quod Deus, qui est sæpius objectum materiale, semper autem objectum formale quod, mereatur præferri omnibus repugnantibus: vel quod non adhæreat Deo, quantum oportet ac decet, si quis ei non adhæreat præ aliis omnibus, nempe in fide auctoritati divinæ, præ omni auctoritate alia vel naturali ratione repugnante; in spe omnipotentiae, misericordiae et fidelitati divinæ in promissis, præ quacumque specie in contrarium; in charitate divinæ bonitati, præ bonitate omni finita impossibili cum Dei dilectione.

*Si ais 1º.* Sæpe eliciuntur actus theologici sine actuali advertentia ad motiva contraria; ergo super ea non *appretiant* suum motivum. 2º. Actus virtutis theologicæ stare potest cum peccato veniali opposito; ergo non præfert Deum omnibus contrariis. 3º. Habens fidem ac spem potest esse peccator habitualis, et etiam in sensu composito illarum virtutum peccare mortaliter: sed mortaliter peccans non adhæret Deo *super omnia*; ergo.

*Ad 1ºm.* R. D. *Cons.* Non *appretiant* formaliter et explicite C. virtualiter et implicite N. Nempe *appretiatio* stat in adhæsione ad Deum, vi cujus quis reddatur promptus ad rejicienda cætera omnia pro retinendo Deo secundum illud prædicatum, quod est objectum formale. Ad hoc vero explicitam fieri comparationem Dei cum creaturis non est necesse.

*Ad 2ºm.* R. D. *Cons.* Non præfert omnibus graviter et simpliciter contrariis N. leviter et secundum quid tantum contrariis T. De hoc enim V. Tr. de Peccat. ac præterea ex D. THOMA notandum, peccatum veniale non esse contra sed præter finem ultimum.

*Ad 3ºm.* R. D. M. Habens fidem ac spem potest peccare mortaliter, etiam in sensu composito, peccato illis virtutibus directe opposito, uti sunt infidelitas, desperatio ac præsumptio N. non directe illis opposito C. Similiter D. m. Non adhæret Deo super omnia ejus prædicatis, motivum fidei et spei constituentibus, directe opposita N. non adhæret super omnia non opposita C. Mortalia alia, v. g. homicidium aut adulterium, licet a credente ac sperante committantur, aut iis antea commissis quis necdum veniam illorum sit consecutus, ideoque peccator habitualis maneat, potest tamen nihil tam verum credere, quam quod Deus revelavit; nihil tam firmiter sperare, quam quod ille promisit. Soli enim charitati contrariantur omnia peccata mortalia; unde et hæc *simpliciter* dicitur ferri in Deum super omnia, quia hæc adhæret Deo super omnia in sensu *absoluto*; fides et spes autem tantum in sensu *accommodo*, nempe super omnia sibi suoque motivo directe et graviter opposita. Neque tamen charitas in sensu *absoluto*, fides aut spes in sensu *accommodo* impeccabilem hominem reddit; cum omnis virtus theologica possit amitti per peccatum directe oppositum, utpote quæ homini libertatem relinquit

ponendi peccatum oppositum in sensu diviso, quem ipse homo facere potest: fides autem et spes etiam relinquit libertatem peccata alia ponendi in sensu composito; quia non per quodvis peccatum, sed per directe tantum oppositum amittitur.

## ARTICULUS II.

## QUÆ ET QUOT SINT VIRTUTES THEOLOGICÆ?

37. *Nota.* Quæstio est de numero virtutum theologicarum, quæ sunt propriæ *viatoribus* et communes *omnibus*. Lumen enim gloriæ, quæ succedit fidei, gaudium ac quies in Deo, quæ spei substituitur, virtutes esse theologicæ, præter charitatem quæ nunquam excidit, Beatis in cælo proprias nemo ambigit. An etiam viatoribus quibusdam, præsertim eximie sanctis, præter ordinariam hujus providentiæ legem, dentur aliquæ virtutes theologicæ a communibus distinctæ, incertum est, nec disputamus. Universalis Theologorum sententia ternarium numerum statuit. Olim tamen MAGISTER SENTENTIARUM, quia charitatem dixerat esse indistinctam a Spiritu sancto, non nisi duas virtutes theologicæ agnovit: Alii, cum unam duntaxat virtutem theologicam sufficere omnibus actibus contenderent, non nisi unam etiam asserere videri poterant; cum alii e contrario in numero virtutum theologicarum augendo excessisse reperiantur.

38. *Dico.* Fides, Spes, et Charitas sunt virtutes theologicæ, inter se *realiter* distinctæ, non nisi tres.

Videtur erui ex 1. ad Cor. 13. *Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: major autem horum est charitas.* Nam 1º. loquitur Apostolus de illis ut permanentibus; ergo non de actibus sed virtutibus fidei, spei etc. 2º. A vers. 8. ostendit charitatis præcellentiam, ex eo quod etiam permaneat in cælo, cum fides ibi mutanda sit in visionem, et spes in fruitionem; sicut ergo charitas in cælo, visio item et fruitio sunt virtutes theologicæ *Beatorum*, sic charitas in terra, fides et spes sunt virtutes theologicæ *viatorum*. 3º. Voces hæc: *tria hæc*, uti et *majoritas* charitatis satis innuunt distinctionem virtutum inter se. 4º. Denique, cum Apostolus signate numerum ternarium enuntiet, neque etiam ratio adsit dicendi Apostolum cum diminutione fuisse locutum; nec pauciores nec plures virtutes theologicæ, quam illæ tres, asserendæ videntur.

*Prob. 1ª. pars.* Fides, spes, et charitas habent omnia prædicata, quæ ad virtutem theologicam requiruntur, ut ex notione illorum habituum et virtutis theologicæ manifestum est; ergo.

*Prob. 2ª. pars.* Charitas cap. cit. manet in patria sine fide: fides et spes in peccatoribus manent sine charitate: fides tanquam *sperandarum substantia rerum* est fundamentum spei; ergo ubique inter has virtutes realis intercedit distinctio, fundata in separabilitate ac prioritate, tanquam evidentibus signis.

*Prob. 3ª. pars.* Ut in Deum tanquam finem supernaturalem tendamus, *tria* requiruntur: Primum est, ut quis ipsum supernaturaliter cognoscat, quod fit per fidem; unde et ad Hebr. 11. 6. *Oportet accedentem ad Deum credere.* Secundum est, ut eundem finem efficaciter intendat, quod fit per